

Indizione dell'Anno Mariano 1987-1988



SECRETARIA STATVS

N.187.965

EX AEDIBVS VATICANIS. 15 Decembris 1986

Reverendissime Domine,

Venerabile expleo mandatum nuntiandi Tibi, forma omnino reservata, propositum, quod Sanctus Pater in animo habet nuntiare die primo propinqui mensis Ianuarii, Matris Dei Sollemnitati sacro.

Cum appropinquans bis millesimus annus, quo Iesu Christi vi- cies centenarii Natalis Iubilaeum celebrabitur, ultro menti per- hibeat Illam, quam Providentia, proximis tunc ante annis, pree- parabat, ut esset magni eius Eventus eximia ministra, Sua Sancti- tas statuit ANNUM MARIANUM indicere, volens, secundum spiritum Concilii Vaticanii II, ut in fidelibus cognitio magis magisque excitetur earum partium potissimarum, quas Mater Dei vocata est ad agendas in Christi et Ecclesiae mysterio.

Si enim tempus, quo ad initium accedimus aliorum mille anno- rum aevi christiani, quodammodo cum antiqua historica exspectatio- ne ortus Salvatoris conferri potest, bene intellegitur nunc pecu- liari nos ratione ad Virginem Mariam converti quae, cum mundus esset adhuc noctis tenebris mersus, iam ut vera "Stella matutina" fulgebat. Mariam aspiciens, excelsum cuiusque virtutis exemplar, populus Dei poterit in sua peregrinatione solacium invenire et, renovato fidei et amoris nisu, se parare ad altius gratiam re- demptricem Salvatoris experiendam, "Solis iustitiae", qui in hu- mana historia perpetuo iam resplendet.

Hic ANNUS MARIANUS incipiet, Deo favente, die septimo mensis Iunii anno 1987, in Sollemnitate Pentecostes, eumque unaquaeque dioecesis iis incepvis celebrabit, quae opportuna esse existima- verit.

Ad hunc gratiae eventum praeparandum, Sanctus Pater vult etiam Encyclicas Litteras de Beata Virgine Maria proxime in vul- gus proferre.

Libenter hanc nanciscor occasionem ut Te valere iubeam meque Tui in Domino observantissimum profitear

+ 2. (ard. (caroli)